

tissimeque eum retinere vellet, sine ulla dubitatione Bembum accersiri; eique muneri, negotioque praeponi jubet. Magnam in spem, magnam in dignitatem vocabatur Bembo: munificentissimus enim Leo, liberalissimusque & habebatur & erat: ipsi autem res erat familiaris pertenuis; vix ut necessarios sumptus suppeditaret, idque ipsum magno Caroli fratris, quem sui amantissimum, observantissimumque habebat, labore atque industria: confluebant praeterea ad Leonis famam ac bonitatem, ut quisque in quaque excellebat arte, aut disciplina; ut propemodum homini erudito, Roma abesse, turpe esset. Huc accedebat reprehensores suos convincendi studium quoddam; cum quanti suae illae artes fierent, quas illi nulli rei esse dicerent, quasque, tamquam nugas ac deliramenta, saepe Bembo objicerent, ostendendi magna data esset occasio: nec vero a suo vetere instituto, aut a litteris abduci sese propterea arbitrabatur, quippe, qui ad scribendum invitaretur, qua una in re omnis sibi cura atque opera posita semper fuisset. Proficiscitur Romam Bembo, cum annos natus esset tres & quadraginta; praeponiturque epistolis Pontificis Maximi nomine scribendis; eoque in munere gerendo datur illi socius, & tamquam collega, Jacobus Sadoletus is, qui postea Cardinalis factus est. Scripsit eorum uterque eas epistolas cum plane Latine, quod ante id tempus neque acciderat ulli, nec adeo fieri posse ullo modo homines existimabant; ac, si verum quaerimus, ne cogitabant quidem: nostri enim homines, saepe etiam transalpinae nationes, sic Latine scribebant, ut suae quisque civitatis tamen loquendi formam, consuetudinemque retineret; ac Latinis verbis, quamquam ne id quidem usque quaque, Gallice nihilominus, aut Italice, nescio quo pacto, loquerentur: sed eae epistolae cum plane Latine a Bembo, Sadoletoque scriptae sunt; tum vero summa a doctissimis, exercitatissimisque hominibus adhibita est elegantia, summaque dignitas; (a) id quod ex iis libris intelligere licet, qui a Bembo editi, epistolas a se Leonis X. nomine scriptas continent. Cum itaque Pontifici Bembo, homini nec natura hebeti, nec in scribendo rudi, cumulatissime satisfaceret, magno ab eo honore afficiebatur: tantum porro in illum suae liberalitatis Leo contulit, ut, qui Romam pauper tandem venisset, suis ex fructibus (b) sestertia amplius cxx. caperet, Pontificis plane beneficentia dives factus. Fuit aetas, tempusque illud humanitatis suavitate nimia prope quadam perfusum; ut delectationum multarum studia saeculi illius licentiae, propemodum omnium permissu, concessa essent: nec enim ne voluptatum quidem quarumdam blandimenta nimium severe aspernabantur, sed multa ad oblectationem, multa ad ludum data erant cujusque ordinis, cujusque aetatis hominibus: nec vero religioni habebatur, honestos, gravesque homines in hortis visos esse; aut paulo liberiore in convivio, symphonia cum caneret, & mulieres accumberent, interfuisse. quam quidem saeculi illius nimium plane profusam hilaritatem, eorum temporum, quae sequuta sunt, tristitia, vehementer corripuit, magnoque opere castigavit: quo magis vereor, id quod dicturus sum, ne multis secus, atque est, de Bembo, existimandi aliquid det loci. Sed quoniam nobis susceptum id est, ut de illius vita, non de laude, dica-

c

mus,

(a) id quod ex iis libris intelligere licet, qui a Bembo editi, epistolas a se Leonis X. nomine scriptas continent.) In decem libros digessit Bembo epistolas, quas Leonis X. nomine conscripsit.

(b) sestertia amplius CXX. caperet ) Nempe coronatorum nummum tria millia.